

I V D I C I A

VIRORVM QVORVNDAM DOCTORVM
D E P A L A E P H A T O
A T Q V E E I V S L I B E L L O

I. In haec tempora [*Xenophontis*] etiam referunt Palae-
phatum Parium: cuius de Opere *περὶ τῶν ἀπίστων ἰστοριῶν*
De incredibilibus historiis exiguum superest fragmentum,
dissentiente et incertae aetatis, putante Gerardo Ioh. Vossio.
Elegantissimus est libellus, et ab omnibus legendus, vt vi-
deant, quomodo historiae ingenio poëtarum in fabulas mi-
grauerint, et ex fabulis ad veritatem reuocari debeant. Prod-
iit Basileae, interprete Philippo Phasianino 1570., cum Hy-
gino aliisque: 1578. Parisiis: Anno 1650. a Cornelio Tol-
lio: Anno 1663. a Martino Brunnero, Graecc. Litt. Profef-
fore Vpsaliensi, *Ioh. Henr. Boeclerus de scriptor. Graecc.*
et Latt. saec. a C. N. III. p. 20. Ultrai.

II. Sed et Palaephatus apprime proderit ei, qui in hu-
manioribus literis cum cura versari cupit. Eius enim *Incre-*
dibilia vsque adeo utilis est libellus, vt dignum existimem,
qui in Germania recudatur, et publice in scholis praelega-
tur. Fabulosam antiquitatem, aut intellectu difficilia, quae
magna etiam ingenia misere torserunt, plana atque expedi-
ta, mira stili elegantia, reddidit. Porro multae ibi haben-
tur obseruationes historicae, geographicae, politicae, ad in-
teriolem eius notitiam facientes: multae ibi latent viuendi
praeceptiones, cuicumque, siue aetati, siue ordini, vtilis, et
summe necessariae. *Herm. Conringius in Notitia scripto-*
rum MS. Cap. VIII. de scriptoribus mythologicis s. 16.